

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1752)
Heft: 25

Artikel: I. Georgii Schelhornii [...] analecta miserandam afflictionem, quam Augustanae & Helveticae confessionis ecclesiae in Hungaria anno 1674 & 1675 perpressae sunt, concernentia
Autor: Schelhornius, J. Georgius
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394712>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 25.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JO. GEORGII SCHELHORNII

Ecclesiast. & Bibliothecarii Memming.

ANALECTA

miserandam afflictionem, quam Augustanæ & Hel-
veticæ Confessionis Ecclesiæ in Hungaria An-
no 1674. & 1675. perpeſſæ ſunt, con-
cernentia.

Viro Summe Venerabili atque Ampliſſimo

JO. JACOBO ZIMMERMANNŌ

*Theologo Tigurino Celeberrimo, Collegii Carolini
Canonico Spectatiſſimo, ac Reg. Boruſſ. Scient.
Soc. Sodali Digniſſimo*

Amico ſuo Veterano

S. P. D.

JO. GEORGIUS SCHELHORNIIUS.

PRidem abs Te, VIR SUMME VENERABI-
LIS! pro eo, quo me a ſex fere jam an-
norum luſtris benevole complecteris, amo-
re humaniſſime invitatus, ut ad inſigne Mu-
ſeum Helveticum, in rei ſacræ & literariæ incre-
mentum, Tua ac amiciſſimi noſtri BREITINGE-
RI opera, non ſine eruditi orbis plauſu apertum,
aliquam conferrem ſymbolam, nunc tandem jure
per Te mihi conceſſo uſurus, hoc qualecunque
ſpicile-

spicilegium oculis Tuis subicere audeo : quod si Vobis haud plane displicuerit, alia fortassis in posterum, Deo vitam otiumque suppeditante, sequentur. Publice vero simul hac occasione ex animo Tibi gratulor laudabile, quod cepisti, consilium de exasciatissimis opusculis Tuis hinc inde sparsis in unum colligendis, junctimque evulgandis, quo ipso haud infucatae pietati & eximiae eruditioni Tuæ eriges monumentum omni ære perennius, ac de republica tam christiana, quam literaria optime mereberis. Plurimum Tuæ me liberalitati pro acceptissimo primi voluminis dono debere gratus profiteor, Deumque veneror, ut Te in seros annos sospitem omnique prosperitatis genere cumulatissimum clementer conservare velit! Ita vale in Domino, O ANIMI PARS MAGNA MEI! Tuique studiosissimum constanter, quod facis, ama. Scribebam Memmingæ A. R. S. MDCCLII. Non. Jan.

Omnem plane humanitatis sensum exuisse necesse est, quem non ad commiserationem commoveant gravissimæ illæ calamitates, quas Anno MDCLXXIV. & MDCLXXV. multi ecclesiarum & scholarum ministri, tam Augustinæ confessioni addicti, quam Reformati incredibili patientia in Hungaria pertulerunt, dignissimi proin, quorum nomina in piorum Jesu Christi confessorum ac martyrum censum relata immortalitate consecrentur. Præter Heideggerum in historia Papatus (a) Melchiorem Leydeckerum in continuatione historiae

(a) Period. VII. §. CCC. sqq. p. m. 497. sqq.

riæ ecclesiasticæ Georgii Hornii (a), Andreæ Caroli in memorabilibus ecclesiasticis sæculi XVII. (b), & Jo. Wolfgangum Jægerum in historia ecclesiastica & politica ejusdem sæculi (c) eas ita luculenter, ut obtupescendum sit, a Christianis in Christianos tantopere sæviri potuisse, descripsit auctor anonymus, cujus narrationem D. Frid. Adolphus Lampe Historiæ ecclesiæ reformatæ in Hungaria & Transylvania Trajecti ad Rhenum A. MDCCXXVIII. in 4. editæ laudabili consilio p. 746. sqq. adjecit, qui & ipse ibidem p. 447. sqq. *in* litterarum, lugubrem pastorum evangelicorum Hungariæ, ad carceres & triremes religionis causa damnatorum, persecutionis historiam illustrantium, exhibuit; Superpondii loco p. 407. sqq. additis quatuor aliis epistolis ad idem negotium pertinentibus. Sunt vero nobis & alia quædam scripta, ad hanc rem spectantia, nec ubivis obvia, quorum jam elenchum dabimus, integris fere titulis adjectis, ut de eorum argumento lectori plenius constet. **Hungarische Brädicanten- Unschuld wider die dreissigfach unwahre Beschuldigung, damit, allem Ansehen nach, ein Jesuiter, unter dem Namen, Johann Labsanski, des delegierten Königlichlichen Gerichts in Hungarn Secretarii, in einem Gerichts- Auszug ganz ungegründet, falsch und verläumberisch fürgiebt, daß die im Königreich Hungarn Un- [Römisch,] Catholische**

-
- (a) Artic. V. p. m. 119. sqq.
 (b) Lib. VIII. p. 122. sqq. & 127. sqq.
 (c) Tom. II. f. 281. sqq. & f. 292. sqq. edit. Hamburg. A. 1709. in fol.

tholische Prädicanten nicht in Ansehung der Religion, sondern der Rebellion und Aufrubr wegen abgesezet, und des Königreichs verwiesen; auch nicht allein insgesamt, sondern ein jeder insonderheit, derselben gerichtlich überwiesen, geurtheilet, und rechtmässig verurtheilt worden seyen; und hie mit sie in der Welt, und besonders in dem Hochlöblichen Teutschland, verhaßt und hilflos zu machen sich unterstehet: zur Rettung der Wahrheit und Bezeugung guten Gewissens gezeuget, von einem, der es mit St. Paulo Ephes. III: 19. dafür hält, daß Christum lieb haben besser ist, denn alles wissen. A. MDCLXXV. in 4. *Narratio historica crudelissimæ & ab hominum memoria nunquam auditæ Captivitatis papisticæ, nec non ex eadem Liberationis miraculosæ, M. Georgii Lani, Hung. Rectoris olim Gymnasi Carponensis in Hungaria, qui postquam Anno Xgισογολίας MDCLXXIV. Posonium ad jus citatus fuisset, ibique fœdissimis Reversalibus a Clero Romanensi obtrusis subscribere abnuisset, innocens mortis est condemnatus, dehinc cum compluribus Ecclesiarum utriusque, cum Augustanæ, tum Helveticæ Confessionis Ministris, Mense Majo ad diversos carceres raptus, in hisque integrum fere annum crudeliter vexatus, post Anno vertente 1675. Mense Martio ex Hungaria ad triremes Hispanicas abductus, admiranda vero Dei pronœa in regno Neapolitano manibus persecutorum clam subductus, cæterisque ad Triremes Neapoli damnatis, solus duntaxat eductus, excessit, evasit, erupit, secundum circumstantias temporis & loci bona fide concinnata, multisque cordatorum virorum votis expetita, nunc luci publicæ exposita ab ipsomet auctore. Anno MDCLXXVI. in 4. Huic opposuit Georgius Haidelberger, Soc. Jes. presbyter, & ecclesiæ*
 Tom. VII. D cathe.

cathedralis Augustanæ concionator, scriptum h. e. anno eodem Dillingæ, in 4. evulgatum: *Georgius Antilani wider Georgium Lani*. Das ist: Römisch-Catholische Widerlegung eines Uncatholischen, der hohen Justiz aus Händen entloffenen, in einer jüngstbin Anno 1675. ausgesprengten Laster-Char-ten. Georgius Lani benamseten quasi Prädicanten, samt erwehnter Georgi Lani, an dem Rand, von Wort zu Wort beygedruckter Laster-Schrift. Ad-versus hunc librum, scommatibus & conviciis ple-num, prodiit *Georgii Lani Thraso papæo-Jesuiticus*, oder kurze und nothwendige Vertheidigung eines Historischen Extracts von der Papistischen Gefäng-niß M. Georgii Lani aus Ungarn wider etliche un-seelige Auflagen und ganz unverdiente Beschuldi-gungen eines Jesuiten, Georgii Heidelbergeri &c. A. MDCLXXVII. in 4. nec non Sigismundi Frey-muth aus Meissen aufrichtiges Bedenken über ei-ne Politische Laster-Schrift, welche wider Ge-org Lani Historischen Extract von der Papistischen Gefängniß Georg Heidelberger herausgegeben, anno eodem in 4. Gravissimæ hujus persecutio-nis historia etiam enarratur in libello germanico: Kurzer und wahrhaftiger Bericht von der letzten Verfolgung der Evangelischen Prediger in Ungarn, darinnen vorgestellt wird ihre Unschuld, und die erschreckliche Bosheit der partbeyischen Richter, aus Haß des Gottesdienstes an ihnen erwiesen: in zierlichen Kupfer-Stücken abgebildet. Aus dem Holländischen ins Teutsche übersetzt. Anno MDCLXXVIII. in 4. Eodem anno lucem vi-derunt: Nothwendige Gedanken der Evangelischen Prediger in Teutschland über denen Exulanten aus Ungarn, kürzlich entworffen, und aus dem Un-garischen

rischen ins Teutsche übersezet von einem, der nicht weit davon gewesen, in 12. Huoc autem libellum auctorem agnoscere b. Antonium Reiserum, dirissima etiam fata Posonii ob evangelicæ veritatis professionem animo forti & ad martyrium parato perpeffum, ex D. Henrici Pippingii memoriis Theologorum (a) cognovi. Quum vero auctor historiæ ecclesiæ reformatæ in Hungaria & Transylvania, a D. Lampio publicatæ, quem *Paulum Ember* esse novimus, universali Evangelicorum in Hungaria persecutioni præludens classicum cecinisse *Georgium Barsony*, Episcopum Vardiensem, virulento libro, cui titulus: *Veritas toti mundo declarata* &c. A. MDCLXXI. Cassoviæ primum typis expresso, & posthac Viennæ recuso, p. 443. referat, simul memorans, eum duplici scripto confutatum esse: annotare hac occasione juvat, decennio demum elapso Barsonii patrocinium suscepisse anonymum quendam, in scholis Jesuitarum enutritum (b) truculento ac in nostris oris rariori libro in lucem, qua indignissimus est, emisso cum hac epigraphe: *Veritas toti mundo declarata; sacram Cæsaream Regiamque Majestatem non obligari ad tolerandos in Hungaria Lutheranos & Calvinistas. Auctore primum Reverendissimo Domino, Domino Georgio Barsony, E. V. &c. impugnata deinde ab hæretico quodam Protestantium fautore, sed præfenti scripto vindicata, per Catholicum, pacis, patriæ, Majestatis Cæsareæ Regiæque; & antiquæ Religionis catholicæ, ac Hungaricæ studiosum. Sopronio*

D 2 Tyrna-

(a) Decad. II. p. 146.

(b) Ipse id p. 141. testatur.

Tyrnaviam nuper missa, typis Academicis excusa, per Matthiam Prnensky, Anno 1681. in 8. In hoc atroci libro auctor frivolis & iniquissimis, omnemque fidem datam evertentibus argumentis evincere impio conatu gestiit. 1. Evangelicos nullum unquam legitimum jus habuisse liberi in Hungaria religionis exercitii. 2. Diplomata, articulos aliasque concessiones strepitu armorum ac variis importunitatibus, uti ipse quidem perhibet, extortas nullius esse roboris. 3. Ex mera conniventia & dissimulatione ad præcavendas turbas ipsos hætenus toleratos esse, non ex obligatione conscientiæ & justitiæ. 4. Gravaminum & querelarum ab ipsis ad Cæsaream Regiamque Majestatem in variis comitiis in religionis causa delatorum nullum esse fundamentum, omniaque mala ipsis merito illata. 5. Nullam illis injuriam, nullam violentiam factam a quoquam: cum ipsi neque jus ullum stabile habuerint eorum, quæ prætendunt: neque si forte habuissent, haberent amplius ob ultimam seditionem (eam scilicet ipsam, cujus immerito iis innocentibus imputatæ causa tantas calamitates A. 1674. & sequenti ecclesiarum & scholarum ministri pertulerunt.) 6. In potestate Regiæ Majestatis esse, ut Protestantibus aliquid vel nihil deinceps indulgeat. Ac tandem 7. Quicquid unquam indulgebatur, mutatis circumstantiis bona conscientia rescindi posse, & ad primordia legesque veteres reduci. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Cæterum illius adversitatis, cujus ante meminimus, consortes etiam fuere Tobias Masnucius & Joannes Simonides, qui cum cæteris ad ergastula nautica condemnati, in itinere Italico sævis militum manibus feliciter elapsi, tandemque per varios

rios casus & multa rerum discrimina ad nos delati fuerunt, quorum literas supplices Magistratui Memmingensi haud sine fructu oblatas heic ad memoriam fortium horum Christi athletarum renovandum exhibere visum est operæ pretium.

Generosi, Nobilissimi, Prudentissimi & Amplissimi Domini! Domini Benignissimi!

QUANquam facile retrahat & deterreat nos illud Salomonis: [Prov. 14.] *etiam proximo suo pauper odiosus erit*: quo minus Amplissimo Magistratui molesti simus; Tamen cum minor sit reus, qui inops peccat [Petron.] & vero dent animum ad loquendum libere ultimæ miseræ [Liv. Dec. 3. l. 9.] facile culpa nostra, si vel summa necessitatis & afflictionis attigerimus capita, a Vestra, Amplissimi Domini! Virtute consequetur veniam. Postquam enim in Patria exularem, incursum Croatici militis omnibus privati, vitam furtivam in latibulis agentes, tandem A. 1674. Posonium citati, ibique judicati, [qualiter autem, Deus dispiciet!] & sententionati fuimus. Et cum nec ante, nec in, & post, pollicitationibus nec fraudibus & terroribus subscriptionem Reversalium, manifeste vim conscientiae, vocationi nostræ, & libertatibus Patriæ inferentium, obtinerent a nobis, tandem post tres menses & paulo plus ignominiose Posonio cum Carnifice instructo restibus ad locum supplicii, & ex eo ad Carceres Leopoldopolim eveci fuimus. Ibi fame, siti, verberibus, frigore, compulsione mira ad apostasiam & ceremonias ipsorum etiam capillis frequenter protracti & ictibus sæpius cruentati fuimus.

Sed cum hæc tam magna & frequentia, supra omnium aliorum captivorum sortem fuerint, ut prope hominum fidem excedant, & vero non sit possibile, ut non fama ad has quoque oras calamitatis nostræ pervenerit, libenter silentio præterimus. Illa saltem incommoda si attingeremus, quæ nostri e Patria dulci nocturna eductio, quæ Parentum & Domesticorum indefleta separatio, quæ militum nos instar pecudum per diversas orbis partes ducentium sævities, quæ iterati in Italia carceres, quæ præsens quoque peregrinatio seu trahit & trahit incommoda, aut quæ pauperies nostra & dubia ac incerta mansionis futuræ sedes præfagit mala; illa, inquam, si attingeremus incommoda, vere nobis tacentibus, miseram esse & commiserationem veniamque mereri nostram sortem, clamoso velut silentio tutarentur & declararent. Sed quæ tanti mali causa? Non certe ulla complicitas infidelitatis seu rebellionis; sed invisæ mundo purior religio: non prætensa contumacia; sed in fide & vocatione perseverantia: non Patriæ in Magistratum furor; sed libertatum avitarum amor. Et hæc erant, quæ miseros Verbi divini Ministros sorte acerba, ad catenas triremium, ad crudelitatem a memoria hominum non auditam condemnarunt. Horum de numero, nos velut de incendio, aut cæde tantæ cladis testes vestras venimus ad oras, divina miseratione, providentia singulari & cura hominum fidelium tantis e malis liberati, ut scilicet fratres nostros captivos afflictissimos vestris precibus & curæ benignæ commendaremus. Quo genere officiorum non defuturos Dominos ipsis etiam bene speramus. Nobis vero nondum in portu

tu navigantibus; verum in mediis tribulationum fluctibus positus, & diuturna cum tempestate coluctantibus, præsentibus & propitiis, Amplissimi Domini! ut porrigant manus, supplices exoramus: Nostram scilicet sortem deplorandam aliis sectatoribus caritatis commendando, & iter nostrum, duce aliquo itineris, viaticoque, si fieri potest, instruendo. Non dubitamus, Nobilissimos Dominos gratiam hanc nobis facturos, memores moniti: *Propter mandatum assume pauperem, propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.* [Eccles. 29.] *Benefac justo, & invenies retributionem magnam, etsi non ab ipso, certe a Domino.* [Eccles. 12.] Preces nostræ indignæ pro inclyta vestra Civitate, pro Ecclesia, Republica & Amplissimo Magistratu nunquam deerunt.

In reliquo divinæ protectioni commendati benignissimi Domini valete optime.

Generosis Nobilissimis &
Amplissimis Dominatio-
nibus Vestris

Ad possibilia quæque Officia
Pietatis addictissimi,

TOBIAS MASNICIUS Pannonicus, olim
in Hungaria Ecclesiæ Illaviensis Verbi Minister,
nunc pro Christo Exul.

JOHANNES SIMONIDES Hungarus, quon-
dam in Pannonia Briznensis Gymnasii Rector,
pro tempore Christi in Exilio Comes.

Supplicem hunc libellum propterea ex autographo publici juris facere visum est, quod aliquatenus summas adversitates ac tribulationes delineet, quas superiori sæculo in Hungaria fortissimos quosdam Christi Confessores ob veritatem evangelicam mira patientia pertulisse supra diximus. Ii dirissimas afflictiones jam partim in patria, partim Posonii & Leopoldopoli perpessi tandem trahebantur per quinque cohortes militum Cæsareanorum, tum in Siciliam adversus Messinenses in Hispanici Regis subsidium missas, ad triremes Hispanico Neapolitanas, quibus, parum aberat, quin jam jam alligarentur. Sed, mirabili Dei providentia sic dirigente, factum est, ut prope Capuam latibulum aliquandiu in quodam fruticeto nacti e ductorum suorum manibus evaderent. Hac autem ratione libertate vix potiti, quadriduo post a lictoribus iterum comprehensi, & Capracottæ in carcerem coniecti sunt: jamque propemodum in eo erat, ut Domino *de Ringsmaul* militum Tribuno, cujus fidei Neapolim ducendi commissi fuerant, denuo miseri traderentur: hic enim, literis in loca circumjacentia missis, illis, qui eos vinctos Neapolim reducerent, centum nummos aureos promiserat. Cum vero improvisa ejus mors intercessisset, lictores spe obtinendi hujus præmii orbati, animique impatientia commoti, eos venum exposuerunt, avidissime mox a nonnullis piis ac evangelicæ religioni addictis mercatoribus Germanis, Neapoli tum negotiorum causa versantibus, redemptos, ac per trimestre liberaliter habitos, tandemque bona ac tuta occasione in nostram Germaniam ablegatos.

tos. (a) Haud incongruum videtur, hic quænam fuerint horum Duumvirorum, posteaquam fuga salutem non procul Capua quæsisissent, fata ipsi Jo. Simonidis (b) verbis enarrare ex ejus libello, Wittebergæ A. MDCLXXIX. evulgato, cui titulum: EXUL PRÆDICAMENTALIS, indidit, cum memoratu haud sint indigna, illudque opusculum, utpote inter patronos & amicos potissimum distributum, non adeo multorum in manibus versetur.

„ Ita autem ille p. 27. sqq. Inter alia, quæ fu-
 „ gam comitabantur, adversa fames fuit, quam
 „ dum radicibus, foliis & variis herbis sedare
 „ non possemus, deliberato pergimus ad oppi-
 D 5 „ dum

(a) Omnem hanc rem didici e documentis Simonidis *Exuli Prædicamentali* præmissis. Fata autem hæc sua in providi Numinis laudem enarra- verunt etiam Masnitius & Simonides in libello Germanico, Wittebergæ A. MDCLXXXI. con- sentiente & approbante Theologorum ordine, in 8. publicæ luci exposito, cui hunc titulum fece- runt: Gottes Krafft und Gnade, die sich an denen beyden schwachen und trübseeligen Dienern Christi T. Masnicio und J. Simonide reichlich und bestän- dig erwiesen &c.

(b) In hunc Simonidem, Poëtam non ineptum, ejusque hospitem beneficentissimum accom- modari quodammodo potest Phædri Fabula XXI. Lib. IV. quæ titulum gerit: *Naufragium Simonidis*. Confer, si placet, etiam ejusdem Libri Fabulam XXIV.

„ dum quoddam, prece vel pretio panem com-
 „ paraturi: Incidimus in Rusticum, quem gestu,
 „ suspiriis & facie miseranda rogamus, ut sex de-
 „ nariis [tot adhuc supererant] panem apportet.
 „ Qui in partem collis superiorem ascendens cum
 „ se facilem præstiterit, suspicionem ingeneravit,
 „ quasi de nobis Gubernatori quidpiam indicatu-
 „ rus esset. Hinc, si fames permisisset, & num-
 „ mos relinquere parati fuisset. Descendit
 „ mox alius, restes forte ex negotio ferens, quem
 „ nos, recta ad nos tendentem, nostræ captivi-
 „ tatis auctorem existimabamus. Sed me oran-
 „ te, dum propius accederet, inspecto oratio-
 „ num Hermanni libello, discessit, nostrosque
 „ ligatos spiritus formidine solvit. Tunc rediit
 „ prior, panem & caseum adferens, quem col-
 „ laudatum reliquimus, bona cum spe lætitiæ,
 „ quasi tutius & alia loca ingressuri. Die 4. in-
 „ gruentibus pluviis in nemore tentorium ex ra-
 „ mis confecimus, ut sub eo ad vesperam mo-
 „ raremur, & nocte ingruente oppidum Capra-
 „ cottense evitaremus. Sed pluvix densæ, fri-
 „ gus continuum, fames vehemens aliaque mille
 „ incommoda consilia anteverterunt. Concludi-
 „ mus ergo in omnem rei eventum ingredi Ca-
 „ pracottam, dumque appropinquamus, ecce
 „ vigiles, qui ob Banditas tenent excubias, oc-
 „ currunt, profugos nos capiunt, & 4. Maji car-
 „ ceri includunt, quæ erat t. t. dies Sabbathi an-
 „ te Dominicam Jubilate. Sic fugam nostram
 „ nova in Italia excepit Capracottæ captivitas.
 „ Hoc in oppido carcer fuit posterior maleficis
 „ destinatus, in quo vigiles illi manus & pedes
 „ ferro vinciunt, pronisque terra decumbentibus
 „ truncos

„ truncos prægraves, pectori unum, alterum
 „ pedibus imponunt. Molle lectum! mollius in-
 „ tegumentum! Die tertio a captivitate salutatur
 „ nos Archi Presbyter *Nicolaus Capharneus*, quæ-
 „rens, cujus simus professionis. Respondenti-
 „bus; Lutheranae, addit: an Lutherani sint eti-
 „am Christiani? Asferentibus, ergone, inquit,
 „ estis baptizati? Omnino, addimus, & formu-
 „lam baptismi, orationem dominicam, deca-
 „logum, symbolum fidei &c. recitamus. De
 „ his enim, an nobis Lutheranis sint cognita,
 „ perquisivit. Quæ omnia dum nos scire intel-
 „lexisset, rapitur in admirationem & concludit:
 „ Lutherani ergo sunt etiam Christiani, obtinuit-
 „que apud Governatorem, ut vincula nobis de-
 „sumerentur. Qua sua in nos propensitate alios
 „ quoque ad commiserationem invitaverat, adeo,
 „ ut sub initium captivitatis nullum in cibo vel
 „ potu pateremur defectum. Nam licitum fuit
 „ scholasticis ad carceris foramen venire, qui car-
 „minibus, hymnis & aliis a nobis ad compassio-
 „nem invitati. Hos inter fuit **HIERONYMUS**
 „ **DE BACCARIIS**, vere Corvus ille Eliæ, qui
 „ nunquam vacuis nos accessit manibus, dum-
 „que elapsis aliquot diebus prohibitum esset nos
 „ invisere, frequenter nocte accessit, & panem
 „ carceri injecit. Aderant etiam sæpe puellulæ
 „ & puelli, qui more suo panem ori admove-
 „runt, jufferuntque nos canere, semesum por-
 „rigentes, quem nos absque fastidio sumimus.
 „ Carcer itaque tolerabilior erat Leopoldinensi
 „ in Hungaria, hoc nomine, quod canere, ora-
 „re, legere, scribere, dare licuit & accipere.
 „ Sed felicitas hæc non perennavit. Supra enim
 „ nomi-

„ nominatus Archi-Presbyter, dum nollemus re-
 „ ligionem Lutheranam abjurare, omne patrocini-
 „ nium subtraxit, & clemens in crudelem ver-
 „ sus, aliorum etiam affectum avertit, adeo, ut
 „ nisi *Corvus ille* nostri fuisset misertus, fame &
 „ siti periissemus. Dimissionem petentibus re-
 „ spondit, captivitatem nostram Pro-Regi Nea-
 „ politano esse significatam, atque ideo ad trire-
 „ mes eo nos abducendos. Sic præcisa fuit om-
 „ nis spes liberationis, nec superfuit aliud reme-
 „ dium quam patientia.

„ Hoc in carcere dum integris sex hebdoma-
 „ dibus detineremur, en mirifice Deus nostri
 „ promovit liberationem. Vigiles nempe Capra-
 „ cottenses recte grandi ligatos nos hac abducunt,
 „ certam pecuniæ summam Neapoli accepturi.
 „ Quam quidem Mercatores cum in transitu Li-
 „ semiaë numerare illis essent parati, cum primis
 „ quod viderent, nos esse adhuc juniores, & ad
 „ serviendum aptos, responsi loco tulerunt, jam
 „ adesse in proximo oppido emtores, quibus si-
 „ mus credendi. Dum pergimus, ecce occurrit
 „ Rusticus cum duobus equis, quibus imponi-
 „ mur, custodibus a tergo per vices insidentibus.
 „ Miras cogitationes hæc equorum subministratio
 „ excitavit. Rebar ego, Dominorum, quibus
 „ nos tradendos ajebant custodes, hanc esse pro-
 „ visionem. Non meliorem, regerebat comes
 „ meus, inde ego spem mihi polliceor; namque,
 „ addebat, & latro ad patibulum ducendus cur-
 „ rui quandoque imponitur. Quid fit? Eodem
 „ die accedimus Thianam civitatem, ubi nobis
 „ obviam facti ex porta civitatis Fautores, eo-
 „ rumque

„ rumque unus quærit : an sciamus Germanice ?
 „ reddidi ego : utique aliquantum. Tunc ille :
 „ Quomodo vocemur ? Edisferentibus nobis, ille
 „ inspecta charta, de tertio, Domino M. LA-
 „ NI, (a) ubi is esset, sciscitatur : sed nihil hu-
 „ jus conscii, reposuimus, nos nescire. Interea
 „ veluti verbis nos castigans fugam exprobrare si-
 „ mulabat, sed mox nos consolaturus, bono ju-
 „ bet esse animo, subnectens, reliquos itidem in
 „ triremibus jam gemere, sed nos certo libertati
 „ fore asferendos. Hic igitur certum pro nobis
 „ numerat ductoribus avaris pretium, quos, ac-
 „ cepta ab illis numeratæ pecuniæ cautela, dimit-
 „ tit, nos vero ad superius hospitii conclave du-
 „ cit, utque bono simus animo, denuo horta-
 „ tur. His in tenebris Italicis, cum impossibilis
 „ nobis videretur liberatio, semper suspectus &
 „ formidandus hic Fautor noster menti terroribus
 „ plenæ apparuit : namque non alium, quam
 „ unum forte e numero Officialium, nos ex
 „ Hungaria ad Tiresmes ducentium, eum esse ar-
 „ bitrabamur. Auxit suspicionem Italus quidam,
 „ qui, absente Fautore, quæsitus, quid homi-
 „ nis esset, qui nos in potestate jam haberet, re-
 „ spondit : esse Capitaneum, qui in Sicilia exer-
 „ citum

(a) Evasit & hic Dei beneficio in Germaniam,
 variaque scripta in lucem edidit. Ex ejus Mau-
 solæo Saxonico Summe Rever. D. Jo. Henr. von
 Seelen in Philocalia sua epistolica p. 297. sq. lo-
 cum exhibet, in quo in compendio enarratur,
 quomodo tum fideles Christi in Hungaria confes-
 sores habiti fuerint.

„ citum amisisset in conflictu cum Gallis, nunc
 „ ergo vires redintegraturus, hinc inde milites in
 „ supplementum conscriberet. Hinc nihil cer-
 „ tius expectavimus, quam dolosam armorum
 „ obtrusionem. Italo hoc discedente, accedit
 „ alter Fautorum, tradens nobis libellum, cui
 „ titulus: *Himmlicher Lust, Garten &c.* ex eo,
 „ inquiring, cognoscetis, qui sumus, scilicet Lu-
 „ therani. Sed nos suspicabamur invicem, po-
 „ tuisse eum a milite Lutherano ad nos decipien-
 „ dos tantisper mutuari. His aliisque modis
 „ dum semel conceptam de se opinionem expu-
 „ gnare non possent, scio, inquit tandem alte-
 „ eorum, cur tergiversemini, ne scil. ministe-
 „ rio sacro per assumptionem militaris vitæ renun-
 „ tietis, ad quod frustra huc usque per subscri-
 „ ptionem, per carceres, per armorum obtrusio-
 „ nem perque alios modos cogebamini: Quæ
 „ verba aliquam meruerunt apud nos considera-
 „ tionem. Flentes igitur & gementes rei even-
 „ tum operiebamur. Die sequenti discedimus
 „ hac sub auroram, & ecce currus occurrit, cui
 „ cum Patronis insidemus, dumque Aversam
 „ transiremus, Resumite, monebat unus Fau-
 „ torum, animos, jam enim cito ingrediemur
 „ Neapolim, nostro in hospitio cœnaturi: tunc
 „ apparebit candidus noster in vos affectus. Al-
 „ ter vero, qui facie aversa & pileo oculos ob-
 „ umbrante frequentius subridebat, auxit insuper
 „ suspicionem, adeo, ut hic in eam opinionem
 „ prolaberemur, aliquem hunc civium Neapoli-
 „ tanorum esse, cujus bono nos ille a custodi-
 „ bus coemptos, huic iterum venditurus esset,
 „ hicque propriis servitiis ut mancipia subjugatu-
 „ rus.

„ rus. Ingređimur urbem Neapolin, & per di-
 „ versas plateas vecti, in Foro ad Tribunal S.
 „ Laurentii curru descendimus, cumque utrim-
 „ que suspecta fuerit fides, præcedit unus Fauto-
 „ rum, alter sequitur, ne qua forte nocte jam
 „ profunda nos subduceremus. Sic venimus ad
 „ hospitium Fautorum, ascendimus & ingredi-
 „ mur museum, ubi, dum intra spem & metum
 „ positi fleremus, tertius, & præcipuus Fauto-
 „ rum, Nolite, inquit, flere, caræ Deo animæ,
 „ sed, quam mirabilis sit Deus in suis operibus,
 „ considerate. Sternitur mensa, accumbimus,
 „ miramur factum, nec tamen tanti id facimus,
 „ ut inde concluderemus, nos in eo statu versa-
 „ ri, in quo fere fuimus. Inter cœnandum inci-
 „ pit Fautorum primarius in Pontificem R. de-
 „ tonare. Nos mussitamus, ne quid, nisi inter-
 „ rogati, dicamus, has esse tentationes. Requi-
 „ rit insuper de itinere & aliis circumstantiis, cui
 „ omnia reliqui aperiunt, etiam de difficultate,
 „ quam in persuadendo sustinuerunt, nec velle
 „ nos adhuc dum credere esse liberatos. Subri-
 „ det ille factum hoc, & tanquam evidens pru-
 „ dentia & constantia signum collaudat, quæ-
 „rens insuper, jamne crederemus nos esse libe-
 „ ratos? Respondemus, Deum nosse vias nostras.
 „ Surgimus a mensa, & precibus lectione capi-
 „ tis Biblici peractis ducimur in conclave Princi-
 „ pe sane non indignum. Hic jubemur quiesce-
 „ re. Nos videntes lectum deauratum, purpura
 „ & bysso stratum, rara materia velatum, parie-
 „ tes, mensas, sedilia, specula & alia pretiosis
 „ rebus ornata & onerata, omnimode reluctamur,
 „ ut ibi dormiamus, maxime, cum ex
 „ „ diu-

„ diuturno carcere corpora squalida & vestes (sit
 „ venia) pedibus refertæ essent. Sed nil profuit
 „ excusatio. Hic igitur inclusi, inspicimus pri-
 „ mo thecam librariam, in qua reperimus libros
 „ Lutheranos & inter eos Anti-Christum Dillingeri
 „ in quarto, qui in medio ibi Papatu maximæ
 „ fuit admirationi. Quibus visis, tunc primum
 „ novæ cogitationes suboriuntur, & dum cogi-
 „ tamus de nostri liberatione, somniare nos cre-
 „ dimus. Sic velut attoniti hærentes, dumque
 „ in eam sententiam descendimus, jam vera es-
 „ se, quæ nobis promittebantur, effuse præ gau-
 „ dio flemus, & invicem nos deosculantes, ma-
 „ gis lacrymis quam voce, *Te Deum laudamus*,
 „ occinimus. Nihil mirum fuisset, quod si in
 „ tam subitanea animi & fortunæ mutatione so-
 „ mno mortis oppressi fuisset, siquidem nec
 „ spiritu, nec animo libere utebamur, sed lan-
 „ guidi velut & enervati, tanquam extra nos ra-
 „ piebamur. Defatigatio suadebat somnum, no-
 „ vitas rerum excitabat admirationem. Libri
 „ incitabant ad lectionem, tam insperata felicitas
 „ ad gratiarum actionem. Ita Deo T. O. M.
 „ gratias agendo, diem 15. Junii Anni 1675.
 „ concludimus velut somniantes. *O diem æternis*
 „ *dignam inscribi fastis!*

„ Sic ex captivitate & malo triremium, quod
 „ jam nostris cervicibus imminebat, liberati, to-
 „ to mansionis nostræ tempore in orationibus,
 „ sacris meditationibus & lectione Bibliorum B.
 „ Lutheri versionis Germanicæ &c. versabamur.
 „ Partem temporis etiam colloquio Patronorum
 „ dedimus, qui ex prælecto capite Scripturæ S.

„ ante

„ ante & post cibum varias semper movebant
 „ quæstiones. Sic ex. gr. occasione Nicodemi
 „ Jo. III. 2. sqq. VII. 50. XIX. 39. *An illi in Pa-*
 „ *patu salva conscientia ad certum tempus possint mo-*
 „ *rari?* &c. Quandoque peregrino habitu induti,
 „ & adscititiis crinibus velati captivos & jam in
 „ triremibus alligatos invisimus, & quasi ignari
 „ eorum sortis, quinam gentium sint & cujus
 „ conditionis, inquisivimus, additisque nonnul-
 „ lis, constantiam eorum in fide & adversis fir-
 „ mam semper & quadratam deprehendimus.
 „ Tum intime malis eorum intus condolentes ac
 „ ingemiscentes, porrecta eleemosyna lacryma-
 „ bundi discessimus, quod factum cum primis in
 „ triremi S. Josephi & Januarii.
 „ Patroni, licet jure nos vendere, aut ut man-
 „ cipia tractare, & ad operas serviles damnare
 „ potuissent, tamen ceu Christiani honorifice ha-
 „ bitos laute exceptos, bene vestitos, submini-
 „ strato viatico liberos dimiserunt, & viam ad
 „ nostros penetrandi per Italiam ostenderunt. „

Hæc, quum legerem, sæpe, fateor, indolui,
 Simonidi tum haud licuisse, ipsa fautorum suo-
 rum indulgentissimorum, vel omnium, vel pri-
 marii saltem nomina, æternis fastis quæ inscriban-
 tur dignissima, exprimere. Non sane immerito
 ille de præcipuo Evergeta suo in carmine, quo
 sua itidem fata descripsit, hisce verbis usus est l.
 c. p. 19. sq.

*O tua, Mæcenas, sineres si nomina poni,
 In metris positus quam mihi sæpe fores?
 Te canerem solum meriti memor, inque libello*
 Tem. VII. E Cresce.

*Cresceret encomiis pagina quæque tuis.
 Te præsens mitem nosset, Te serior ætas
 Pergeret elogiis magnificare suis.
 Nec tibi cessaret doctus benedicere lector,
 Hic te servato Vate maneret honor:
 Est primum Jovæ munus quod perfruor aura,
 Gratia post Jovam semper habenda Tibi.
 Ille dedit vitam, redimis Tu, quam dedit ille,
 Et facis accepto munere posse frui.
 Tu nudum vestis, labiis Tu pabula macris,
 Tu præbes potum, corque dolore levas:
 Et quis dona queat numero comprehendere justo.
 Hoc quoque, quod possim nunc memor esse, Tuum est.
 Rex cæli, illa dies veniet dum, sit Tibi clemens!
 Non poterit votum plenius esse meum.*

Didici vero deinde e Simonidis epistolis autogra-
 phis, quarum haud paucas lustrare mihi licuit,
 Virum hunc optimum, & immortalitate dignissi-
 mum, fuisse GEORGIUM WELSIUM, patria
 Noribergensem, mercaturam tum Neapoli exer-
 centem, quem & e literis b. Antonii Reiseri, a
 summe vener. mihiq; amicissimo D. Seelenio in
 Philocalia epistolica p. 297. evulgatis, multo au-
 tem magis ex variis epistolis, quas supra laudatus
 Lampius Historiæ eccles. Reform. in Hung. &
 Transylv. inseruit p. 456. 463. nec non ex ano-
 nymi relatione, eidem historiæ annexa p. 890.
 898. 901. &c. benignam ac indefessam reliquo-
 rum captivorum & ad triremes jam alligatorum
 curam gessisse cognovi. Jure igitur summo de
 eo *Nicolaus Zaffius*, vel potius *Zapfius*, artis salu-
 taris Doctor, Venetiis tunc degens, qui & ipse
 tristem illorum sortem cordi habuit, ac maxima
iis

iis officia præstitit, ad ipsos l. c. p. 463. perscripfit: *Humanissimæ vestræ diligentia Dom. Veltzii, Viri prorsus animo heroico præditi, & æterna laude digni, tuto ad me pervenere. Generosus Vir, dum strenue mecum redemptionis vestræ sphaeram movet, nomen suum commendat immortalitati, & historicorum, qui novum martyrologium adornabunt, & persecutionis vobis illatæ historiam pertexent, applausus merebitur.*

Cæterum pii hi exules, feliciter ex Italia & hostium suorum faucibus elapsi, in Helvetia, Suevia, Franconia & Saxonia benignissime excepti fuerunt, tandemque in Hungariam redeundi veniam ab Imperatore Leopoldo intercessione potissimum Electoris Saxoniae Joannis Georgii II. impetrarunt.

Ex reliquis vero, qui inter triremium Neapolitanarum transtra laboresque plusquam serviles gemebant, Augustanæ Confessioni addicti, occasione data, libellum supplicem, suarum calamitatum nuncium, in Germaniam ad nostrarum Academicarum Theologos miserunt, typis deinde Latino & Germanico sermone in forma quadrifariam dispartita excusum, hocque titulo insignitum: *Literæ lamentatoriae simul & supplicatoriae Ministrorum olim in Hungaria captivorum, jam ad tristes, proh dolor! Hispaniæ triremes condemnatorum, Neapoli ad inclytas Academias Evangelicas in Germania perscriptæ A. S. R. 1675. d. 9. Cal. Sept.* Literas hasce commemorabiles, easque rarissime obvias exhibere hic visum fuit in lectorum gratiam integras. En ergo illas:

Patres & Fratres in Christo venerandi, omnes & singuli, Amici nobis honorandi!

Gratiam Dei Patris, Pacem in Christo Jesu, nec non in cruce patientiam, & in vera fide constantiam omnibus Vobis, Nos miseri propter nomen Christi captivi, a Deo omnipotente & ejusdem Filio unigenito, Salvatore nostro ex sincero corde & affectu precantes, nostras ad Deum supplices preces offerimus.

Inaudita, sed tamen non inaudita Vobis enarramus, si modo omnia & singula enarrari possent, quæ hæcenus Nos omnium miserissimi Christi captivi, Ecclesiarum olim in Hungaria Ministri Scholarumque Rectores utriusque Augustanæ & Helveticæ Confessionis, prætextu quidem fœdæ Rebellionis, revera tamen solius duntaxat Religionis causa perpeffi sumus, uti nuper in patria nostra dulcissima, Carceribus nempe Leopoldoli, Comaromi & in Berentz, ita nunc in remotissimis oris atque Provinciis Hispaniarum patimur & perferimus, sub crudelibus, proh dolor! triremibus gementes, suspirantes & tantum non exspirantes: Et narraremus ea quidem omnia libentes, nisi tempore commoditateque hujus rei sufficientibus excluderemur (sunt enim innumera & inenarrabilia) Vobisque jam aliquantisper aliunde talia innotuisse certiores essemus. Quare hoc labore inter improbos Triremium constituti labores superfedemus.

Illud saltem dicemus, quam miserabiliter, postquam in antedictis carceribus ferro grandium compedum vincti, inter continuos labores, eosque durissi.

durissimos & (quod verecundia dicere vetat) for-
didissimos in expurgandis latrinis, fimetis expor-
tandis, munitiōibus exstruendis, novis carceri-
bus effodiendis, idque genus aliis sine omni tem-
pestatum, æstus aut frigoris discrimine, frequen-
tissimis plagis & verberibus, fame & inedia pene
consumpti decem Menses a Majo Anni 1674. us-
que ad Aprilem Anni præsentis 1675. consum-
psissemus, (quod pluribus anno superiore in Li-
bello supplici ad Sacrat. Cæs. Maj. directo expo-
situm) tandem ex dulcissima nostra Patria, clam
per occulta foramina, nocte ruente, in vinculis
ablati, Equitumque Cohortibus cincti per Mora-
viæ & Austriæ fines usque Schotviennam ducebamur,
ubi mox copiis subsidiariis a sua Majest.
Cæs. in Hispaniam missis juncti, inque medium
duarum Cohortium pedestris militiæ rapti ferro in
pedum cruribus relicto, sic constricti, pedestri
itinere per Styriam, Carinthiam & Carniolam
Tergestum usque abducebamur, ibique omnibus
exuti & spoliati rebus tres dies a Dominica Pal-
marum usque ad sequentem Mercurii diem, con-
tinua fame ne buccella panis nobis porrecta, af-
fligebamur. Tunc barbis, quas longas aluimus,
nostri capitis ornamentis, penitus abrais postri-
die Navibus imponebamur, indeque per Mare
Adriaticum ad Portum Piscariæ in Regnum Nea-
politanum avehebamur.

Abhinc vicissim pedestri itinere ferro adhuc
onusti inter verbera & famem, instar pecorum
acti, pulsique Capracottam pervenimus. Hac in
via partim ob famem intolerabilem, partim ob
verbera multa, denique ob nimium fœtorem ex

horrendis pedum tumoribus ortum, (plerosque etiam nostrum discalceatos toto hocce itinere incedere oportuit, ipsis guttis sanguinis per salebrofa illarum regionum loca passim destillantibus) octo ex nobis Viri præcipui has misérias morte ipsa superarunt, inter quos erat Michael Gosch Pastor A. C. Kalinoviensis, Michaël item Miscolcy Filekiensis, & Johannes Harlanis Pastores Helveticæ Confessionis.

Eadem die, qua Capracottam venimus, quidam Gregorius Heli, Pastor H. C. hunc in modum è vivis sublatus est. Portabatur quippe jam semimortuus dorso asini, captivis duobus (urgente ad id milite nos magis mortificandi ergo) utrinque a latere subinde eum fulcientibus & a lapsu prohibentibus, mox præcipiti quodam in loco neutro Auxiliatorum suorum animadvertente (altera enim manu ferrum suum, altera ægrum semimortuum tenere eos oportuit) in terram prolabitur & subito moritur. Qui humi prostratus, exutis, quos adhuc habebat, laceris vestibus, seminudus adeoque insepultus media in via canibus forte esca futura relinquebatur. Ubi hoc ad Capracottam accidisset, compedibus equidem die sequente solvebamur, sed rursus postquam septima die Mensis Maji, Neapolim appulissimus, forma priore, omnibus, quæ adhuc forte supererant nobis, denuo penitus nudabamur, jamque grandibus Triremium catenis constricti, omnis consilii & auxilii egentes inter suspiria & gemitus semimortui adhuc spiramus: sic miserabilem in modum Hispanorum mancipia facti, longe infra mancipiorum omniumque sceleratorum genus collocati,

locati, quotidie durissimis laboribus, quorum præmia frequentiores ictus sunt, & quod pati difficilius, inauditis calumniis & in Deum nostrum injuriosis convitiis a populo isto Christiano, oneramus, proscindimur, ita quidem, ut & vivere jam nos tædeat, existimantes millies melius semel mori, quam hacce tam lenta confectos morte diu torqueri, crescentibus in singulos dies malorum procellis.

Aderant hic nuper Turcarum nonnulli Mercatores, qui audito de nobis miseris rumore, moti quadam erga nos misericordia, nobis alimenta quædam, pisi, lentis, ceparum & allii subministrare haud sunt dedignati, Christianis istis hoc prorsus negligentibus.

Erant autem nostrum ab initio, cum huc duceremur 41. præter illos, quos alibi Captivos detineri audivimus, postquam vero ex nobis aliqui mortui, tres autem ad Neapolim profugi facti fuerint, utpote Georgius Lani Rector Carponensis, Thomas Masnitius Diaconus Illaviensis & Johannes Simonides Rector Brisnensis, quorum posteriores duos iterum captos esse ferunt, numerus Captivorum Hungariæ hic Neapoli in Triremibus existentium ad 30. se extendit, ex quibus XI. Augustanæ, XIX. autem H. C. sunt additi. Inter illos præcipui sunt M. Thomas Steller, Con-Rector Neosoliensis, Michaël Paulovicz, Rector Divo-Martinensis, Daniel Mazarius, Thomasoviensis, Samuel Nikletius, Uybanensis, Balthazar Nikletius Strihoviensis, Nicolaus Leporini Poltariensis & Andreas Turocy Filekiensis Pasto-

res. Ad posteriorem pertinent classem, Steph. Seley Superint. Papensis, Stephanus Batorkeffi Vesprimensis, Franciscus Otrokocy Rimafecinensis Pastores.

Hi omnes tantis expositi ærumnis & calamitatibus confugiunt ad media licita, Magnos nempe, quos multum valere apud Clementissimum nostrum Regem (cujus jussu, & huc ductos, & hic ita misere nos haberi milites dicunt) scimus, Viros Principes, omnes Eosdem, ut suas nobis afflictis gratiosas porrigant dexteras, pro nostra Liberatione maturanda, & miseræ, quæ adhuc ex parte superest, vitæ post tantas calamitates conservatione impetranda. Quia enim mortem quærentes mors fugit, & abbreviare miseras nostras contra Dei voluntatem anticipatione termini nefarium judicamus, ideo aliorum hic ope indigentes, ad Eos post Deum confugere habemus necesse.

Direximus autem ad Reges Potentissimos, Electores Serenissimos, Duces & Principes Celsissimos S. R. J. Dominos, Dominos nostros gratiosissimos, (nos qui A. C. sumus) supplices nostras voces, orantes Eos demississime, ut etiam Illi, qua valent apud Imperatoriam Majestatem, Regem nostrum Gratosissimum, Gratia, suas ad Nos sublevandos & liberandos extendant dexteras. Id autem, quicquid hujus negotii est expediendum, ad Vestras Maxime Rever. Excellentias cum præsentibus dirigere placuit, vel eo ex consilio, ut Vos Patres nostri & Fratres in Christo dilectissimi nostras supplices preces Iisdem commendetis, atque votis Vestris, ad facilius nostræ Instantiæ humillimæ relinquendum locum Eos invitetis & exci-

excitetis, simulque apud alios Magnos & Bonos, apud quos multum Vos valere novimus, Vestram operam interponatis.

Quod Amplissimos Almarum Universitatum ordines, pro illo, quo ex nobis nonnullos sibi olim præsentibus complexi erant favore, imprimis autem ex illo ardentissimo sinceræ Religionis secundum Invariantam A. C. Zelo, ob quem unicum nos istas perferimus adversitates, accensos facturos, uti nulli dubitamus, ita quicquid alibi nostri causa fecerint, id pondus suum habiturum, certo nobis persuademus.

Quod reliquum est Nos uti ipsos Almarum purioris doctrinæ Nutricios, Reges Potentissimos, Serenissimos Electores & Principes, Celsissimos Duces, Patres Patriæ, cum universis Inclytarum Aularum Administratoribus & Consiliariis: ita etiam Celeberrimas Literarum Matres, cum suis Proceribus, Magnificis, Doctoribus, Professoribus & Civibus Academicis Deo largissimo Benefactorum remuneratori, humillimis precibus nostris præsentare & commendare incessanter nequam intermitteremus.

Nos devotissimi & afflictissimi Captivi Christi, Ecclesiarum olim Ministri & Scholarum Rectores in Hungaria, nunc sub Jugo Triremium Hispanicarum Neapoli gementes, Jobæumque illud ingeminantes: *Miseremini nostri, miseremini nostri, tantum Vos Amici nostri, quibus manus Domini tetigit Nos!* Valet.

Perscriptum Neapoli IX. Cal. Sept.

Tandem vero provida divini Numinis cura factum est, ut & hi, & cæteri ejusdem calamitatis participes, ex horrendo triremium ergastulo per fortissimum Heroëm, Michaëlem de Ruyter, fœderatorum Belgii Ordinum Archithalassum, feliciter vindicati, ac ceu titiones e mediis flammis, & fornace veluti Babylonica, manu omnipotentis Dei erepti, per Helvetiam in Germaniam evaderent, partim deinde divino beneficio suis gregibus restituti: in itinere vero passim, & cum primis in florentissima Civitate Tigurina, munificæ in exules aliosque opis indigos liberalitatis laudibus a longo jam tempore maxime conspicuæ, benignissime excepti habitique. Oratio ad eos salutandos nomine venerabilis Ministerii Ecclesiæ Tigurinæ a D. Jo. Henr. Heideggero, maximi nominis Theologo, A. 1676. d. 20. Maji habita, ac nondum, quod sciam, in lucem edita, dignissima est, quæ hic legatur. Accipe igitur illam:

Reverendissime Episcopo, venerabiles viri, Jesu Christi, Domini nostri & sospitatoris unici servi fidelissimi, athletæ & Martyres gloriosi, Domini & in eodem Christo Domino Patres, fratres & Symmytæ unius, ejusdemque pretiosæ fidei contesseratione, & spei cœlestis communionem conjunctissimi uniceque suspiciundi. Quibus vos titulis aliis, pietate & constantia vestra dignis compellem, exornemque, vix reperio.

FAciam vestram venerandam ut Angelorum Domini intuemur, salutamus, suspicimus, nec tamen sine imis cordis nostri suspiriis & lacrymis. Etenim liceat nobis cum uno illo ex Senioribus,
Apoca-

Apocalypticis quærere; *Hi vestiti stolis albis* τινές
 εἰσι καὶ πόθεν ἦλθον; *Quinam sunt, & unde vene-*
runt? Apoc. VII: 13. Divinumque Oraculum
 nobis respondet ibidem: *Hi sunt* οἱ ἐρχόμενοι ἐκ
 τῆς θλίψεως μεγάλης. *Hi sunt, qui venerunt ex ma-*
gna tribulatione, qui laverunt stolas suas, easque san-
guine Agni dealbarunt. A longo jam tempore pro
 dolor! aures nostræ nobis tinnierunt, & tantum
 non perforatæ sunt fama diræ persecutionis Hun-
 garicæ, qua vix alia gravior Ecclesiam Dei percu-
 lit. Tot florentissimæ Ecclesiæ, privilegiis Cæ-
 sareæ Regiæque Majestatis irrefragabilibus muni-
 tæ, Antichristi præda factæ sunt. Tot animæ sa-
 pientissimæ in ejusdem tyrannidem concesserunt,
 percussis pastoribus tot oves Christi misere dissi-
 patæ errant, & vix luporum rictus effugiunt. Vo-
 bis imprimis, veneranda & sacra capita, vobis,
 inquam, qui tanquam vigiles Domini in irrupti-
 one stabatis, perduellionis calumnia iniquissima
 pressis sæva illa tempestas incubuit: vos capitis
 causam coram iudice infestissimo dicere subacti
 innocentes non aliam certe ob causam, quam
 quia exemplo D. Ambrosii, Mediolani Episcopi,
 sic ut ille Basilicas furioso Auxentio, ita vos quo-
 que Ecclesias Basilicas vestras ob solius Dei timo-
 rem, immani illi tigridi Collonischio tradere re-
 cusatis, innocentes adeo & propter causam, quæ
 non vestra, sed Christi erat, condemnati, in te-
 rrimos carceres detrusi, per longa & aspera,
 molestissimaque itinera raptati, & Hispanicam in
 servitatem redacti, profligatissimorum mancipio-
 rum exempla novissima sustinuisistis. Horret cer-
 te animus noster cogitare infandas misérias, sævi-
 tiam & ἀπανθρώπιαν hostium vestrorum, calami-
 tates

tates non simplices sed concatenatas, sed multifarias, & horribiles, quarum a vobis magno nec infracto animo exantlatarum apud posteritatem fides multum laborabit. Cœleste igitur, ut dixi, oraculum nobis acclamat: *Hi sunt illi, qui ex magna tribulatione venerunt, & stolas suas in sanguine agni dealbarunt. Benedictus sit Dominus אלהים למושינו Deus ad salutes, cujus sunt exitus mortis. Psalm. LXVIII. v. 21. 22. qui, sicut olim, ita etiamnum dixit: Ex Basan reducam meos, reducam מים למימם ex profunditatibus maris. Benedictus, inquam, Jehovah, qui occidit & vivificat, qui claves vitæ & mortis habet, qui tanquam Heros surrexit jubilans præ vino, qui Heroëm suum cœlesti spiritu & robore indutum alterum illum Belgii Periclem, seu malumus dicere, Gedeonem Archithalassum Reuterum, jam vobis terga vertentem, ut, conclamata apud homines salute, appareret vobis, Deum esse ἐν ἀμύχανοις ἐυμήχανον, & auxilium vestrum esse a Jehova, qui fecit cœlos & terram, terga, inquam, jam vobis vertentem, reduxit, ut ex intoleranda servitute vos sospitaret, & alteros veluti Danieles ex fovea leonum & babilonica fornace liberaret. Ut jam Christo Salvatore vestro verbis sponsæ ejusdem apud Hieropsaltem gratias agatis: *Explorasti nos, o Deus! conflasti nos, sicut argentum, fecisti, ut homo (perditionis nempe) inequitaret Capiti nostro, venimus in ignem & aquam, & eduxisti nos ad satietatem; nec non cum eodem: Cum Jehovah Zionem restitueret in integrum, extitimus sicut somniantes. Tum implebatur os nostrum risu, & lingua nostra júbilo. Tunc dixerunt in gentibus: Magna fecit Jehova erga nos, magna fecit Jehova erga nos, læti extitimus. Μακάριος ἄνθρωπος, beatissimus**

beatus vir ille, qui persecutionem tolerat; postquam enim exploratus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam promisit Dominus diligentibus ipsum. Jac. I. 12.

Quamobrem viri Dei, Callinici celebres, vos, ut Angelos Domini excipimus, salutamus, suscipimus, & pectoris nostri labiis præsentibus exosculamur, vobis invictam in adversis constantiam, divinam & miraculo proximam redemptionem, injustissimorum persecutorum vestrorum confusionem, iter hucusque promotum feliciter, adventum vestrum, Magnificis, Ampliss. Proceribus nostris, Civibus universis nobisque exoptatissimum, præsentiam venerabilem, quæ multorum nobis documentorum feracissima erit, lætabundi & gestientes toto pectore nostro gratulamur. Sicut antehac cum flentibus vobis flebamus, & miseriæ vestræ communis nobis sensus fuit, ita nunc cum gaudentibus vobis gaudemus, & lætitiæ vestræ communis nobis sensus est. Seculum integrum, & quod excurrit, elapsum est, ex quo Ecclesia nostra Tigurina, quam inde a Reformationis tempore præ multis aliis Deus ineffabili gratia profecutus est: nec non τιμιώτατος ejusdem antecessor & reformator vestris quoque tum ecclesiis notissimus Bullingerus ὁ Μαναρῖτης simili fere modo flagrante persecutione Mariana exules Anglos Episcopos tota urbe celeberrimos excepit, & cum iisdem hospitalitatis tesseram sincere & fideliter communicavit. Eadem fide & sinceritate vos נאלי יהוה salvati, liberati & aserti Domini excipimus: Vobis totos nos consecramus, animos devotos, voluntates propensas, studia & obsequia addicta, hospitia, mensam nostram, quo-
usque

usque commoda vestra ferent, denique hospitalitatis nostræ officia universa offerimus. Offerimus imprimis piarum precum συναγωνισμον, Deum jugiter & ἀδιαλείπτως in vota vocaturi ardentia, ut misereatur Zionis vestræ, fracturas ejus potenter & gratiose sarciat, Ecclesias vestras desideratissimas vobis, & vos desideratissimos illis restituat, πύρωσιν illam ignitam & tot fidelium probationem ad lætam tandem Catastrophen perducat, hostibus vestris & Domini nostri Jesu Christi, siquidem fuerint ἀθεράπευτοι καὶ ἀνίατοι, incurabiles & insanabiles, calicem indignationis suæ, & plenum cramate propinet, cujus improbi illi terræ feces exhauriant, inebrientur, cadant & vomant, neque a facie gladii resurgant, quo & ipsi intelligant Θεὸν εἰ μὴ κτερίζεσθαι, illusionem ejus non pati, quin potius Deum esse bonum Israël, & eos, qui vos tetigerunt, tetigisse pupillam oculi sui. Hæc affectus erga vos nostri pia & candida est testificatio: hæc summa votorum nostrorum, quæ exaudiat is, qui sedet ad dextram Patris, & pro nobis contra mundum, Satanam & Anti-Christum intercedit ἡμεῖς, Jesus Christus, communis pretiosæ fidei nostræ princeps & consummator unicus.

Ad extremum, revocare hic in lucem, cui se plane subduxit, haud piget libellum, quo Christophorus Kleschius, miserandas calamitates eodem tempore verbi divini præconibus evangelicæ veritatis causa in Scepusiaca Pannoniæ regione (Zipserland) a diris adversariis inflictas, memoriæ prodidit.

Succincta papistica in XIII. Scepusiacis Hungariæ oppidis A. S. 1674. institutæ deformationis Enarratio M. CHRISTOPHORI KLESCH, P. L. C. olim Ecclesiæ in monte Georgii inter memorata, Polonicæ Coronæ oppignorata, XIII. Oppida Scepusiaca Pastoris, & XXIV. an. Reg. Consist. Assessoris & Notarii, nunc exulis & hospitis Jenensis. Jenæ, typis Gollnerianis. A. 1679. in 4.

Omnia in hoc mundo continua vicissitudine & miro gyro rotari versarique primævæ prævaricationis & humanæ perversitatis fructus est. Hinc nihil tam firmum ac stabile æstimari debet, quod non experiri queat mole sua ruinam. Quid ergo mirum, si quandoque Regnum, si Civitas aut Status pristina privetur prosperitate? Sapientis hic non est dicere: Non putaram! Tempore enim Pacis de Bello, Libertatis de Jugo, Abundantiæ de Egestate, & ita perpetuo de secutura mutatione provide cogitandum est. Non fuisset ita horrenda in Hungaria Deformatio tam deformis, si tempestive malum hoc fuisset prævisum. Revidendum jam erit pone, posteaquam egregia facinora me eo inducunt invitumque invitant, ut dulcissimæ meæ Patriæ, florentissimi inter Europæa Regni, faciem nigro obvelatam & involutam peplo in literatissimo hoc Germaniæ Theatro peregrinus sistere & imprimis ultimum Papisticæ in XIII. Oppidis Scepusiacis Reformationis processum Sacrique Ministerii totale ex his oris Exterminium, ut vivam finalis iræ Draconicæ ενιαυγαφια, producere in apricum cogar.

Vos Auditores omnium Ordinum spectatissimi, huc vertite Vultus, Aures & Animos, sub-
misse

misſe contendo. Non abs re erit, ſepoſitis pa-
rumper antiquis Monumentis, Tragicum ſeculi
noſtri Caſum volvere & revolvere. At non ſoli-
tum & exactum totius in Regno geſtæ Rei mo-
numentum & in eo condendo indulcoratæ facun-
diæ condimentum vel cujuſcunque deſiderii
complementum vobis promittite, quin potius
Historico quodam ultimæ in Hungaria Perſecutio-
nis, brevi quidem perſpicuo tamen, Compendio
contenti, Relatori, devoto Veſtri Cultori humil-
limis Deſideriis ſollicitatam obſerre benivolentiam.

Speculum vero, Auditores candidi, elucidatius
vix inveniri licebit, quod faciem ſub conclama-
tis his afflictiffimæ Hungariæ Motibus lugubrem
avidò Spectatori repræſentare queat, quam Tragi-
cus Papifticæ in Scepuſienſi Comitatu Deformati-
onis Actus. Omnia jam occuparat Romani Cleri
rabies, cum noſtra XIII. Oppida ferirent ſpicula.
Nec poterant Perſecutores citius obtinere quic-
quam, ob Polonici Magiſtratus, cui pignoris vi-
gore ac jure ſubjacent, Potefſtatem & in defenden-
dis ſubditis hæctenus egregie manifeſtatam Dexte-
ritatem, cujus Mandato publico ad Judicium Po-
lonienſe, per Canonicos & Regios Homines, ut
vocant, perſonaliter citati, ſub Pœna Capitis &
Confiſcationis Bonorum comparere prohibeba-
mur. Verum debile hoc, cui tum innitebamur,
fulcrum erat ſpesque levis & brevis, quæ mox
expertos edocuit, non eſſe bonum confidere in
Principibus. Nimirum paucioribus intenti Evan-
gelicæ Veritatis Hoſtes acriori Impetu & immani-
ori auſu prædæ inhiare, Conſiliis contractis in
unicam tractus noſtri metam vires fraudesque di-
rigere

figere poterant. Et quia non animarum salus, sed Sedi Romanæ gratificandi & vanæ gloriæ studium divitiarumque insatiabilis cupido stimuli erant Episcopaliū sudorū, facile animadvertere licuit, amœnissimam & fertilissimam hanc terram Scepusiacam non diu fore tranquillam.

Protrahitur hic Comitatus noster inter tredecim Regno orientales vel superiores pulcherrimus & nunquam satis deprædicandus, ad septem fere Milliarum Hungarica longitudine, & ultra octo late expanditur. Hem! intra tam exiguum spatium quot supremi Evergetæ munera! Quam grata & saluberrima hic aëris temperies! Quot Camporum jam in planitiem jam in colliculos se extendentium Jucunditates? Quot agrorum & hortorum prægnantium ubertates & voluptates! Quot montium & nemorum, muri ahenei instar juratum Christiani Nominis hostem ab incursionibus arcentium, commoditates! Quot scaturiginum & fontium ex imis terræ visceribus per metallicos canales & anfractus, in præaltis rupibus illic, hic in radice arenosa, propullulantium, fluviorum & rivorum ex sylvis in prata se diffundentium & alluendo necessitati publicæ servientium, Stagnorum, Lacuum, Piscinarum, Acidularum ac Thermarum, sapore, odore & valore variantium raritates & salubritates! Quot Fortalitorum, Arcium, Civitatum, Oppidorum & Pagorum populosissimorum & arcta serie quasi concatenatorum, ac, quod præcipuum est, Ecclesiarum pulchre sumtuoseque constructarum & sancte instructarum pretiositates! Quæ, qualia, quantaque in his omnibus florum, herbarum-

Tom. VII. F que,

que, frugum fructuumque, lapidum, metallorumque, piscium rari variique generis, pecudum pecorumque, avium ferarumque, hominum ordinumque, nobilitate, religiositate ac pietate, simplici candore & integritate, liberalitate, fidelitate, humanitate, laboriositate cæterisque Virtutibus celebratorum, thesauri imo miracula!

Prodi, mi CARPATHE, saxoso tuo & nivoso culmine, cano semper vertice, Scriptoribus jam antiquitus celeberrime, prodi mons altissime, ditissime, rarissime, & admitte in TE conterminæ Poloniæ Cracoviam usque versus Septentrionem, Liptoviensis Comitatus versus occasum, Gömeriensis vero versus meridiem, & Sarossiensis versus ortum, & hucusque Scepusiacarum Deliciarum Spectatores & Admiratores!

Scilicet hæc fortia erant Argumenta, quibus acti in extrema ferebantur nostri Insidiatores. Nihil hic temporis, nihil laboris intermissum, quo Magistratus noster allici & ad desideria eorundem pertrahi poterat. Miris enim artibus & argutiis heroici, præsertim bellicis intenti Curis, animi occupantur quandoque, & speciosis prætextibus seducti eo per Clerum pertrahuntur, ut putent, se necessarium & Deo gratum præstare cultum, si Episcopis in omnibus obsequia præstent.

Obtinebantur tandem Polonici Commissarii, qui prius templum Olasienne, (per varias impetitiones hætenus tentatum, & Pastore suo ordinario legitimoque in Cassoviensem Custodiam ex Parochiali

rochiali æde violenter abrepto orbatum,) occupant, Sclopetarios centum hinc inde Parochias custoditum disponunt, oppida peragrant, Calices & Vestes in Templis cunctaque Ornamenta Ecclesiastica revident & annotant, cuivis Pastorum arrestatorium in Persona & Rebus omnibus Mandatum prælegunt, postmodum novo Edicto ad Judicium Waralliæ, d. 30. Aprilis St. N. initian- dum, delegatorium, severissime citant convo- cantque. Hic suspiriorum tantum locus esto. Vix enim verbis proferre & recensere licebit Injuria- rum farraginem. Proh! impudentem & male- feriatam Actoris Linguam! Eheu! impatientes æ- greque Innocentiam nostram responso condigno declaratam ferentes Judicum aures! Ah! sequio- rem justo processus modum Decretumque inaudi- tum.

Adesse ac prodire jussi primo termino omnes simul tam in officiis constituti adhuc, quam etiam Exules in XIII. oppidis hospitati, nomina nostra singuli profiteri cogimur, ad litterarum celebris cujusdam Nobilis jam dudum demortui produ- ctarum paria, quibus inter cæteros etiam Lublo- viensis in Comitatu nostro Tractus ad bellicorum consiliorum participationem invitatur, complici- tatis in rebellionem incusamur, Commissarii vero utriusque partis & Delegati ad confirmationem ac executionem sententiæ contra Nos in Judicio Po- soniensi propter nostram emanationem seu inter- missam comparitionem (quæ tamen Nobis pub- lica Magistratus Edicto demandata erat) jam la- tæ, qua nominatenus proscripti patria cedere ju- bemur, urgentur & sollicitantur. Audiisses hic Nos Deum omniscium Testem invocasse, & ad

conscientiæ illibatæ fidem provocasse, atque unanimi ore, flexo poplite, eaque, qua par est, observantia obsecrasse, ne talia Nobis imputentur, siquidem nihil plane de his litteris constet, multo minus de aliquo contra Magistratum & supremam potestatem molimine; sed frustra. Rejiciuntur nostræ excusationes & responsa, intercipiuntur verba, suspectæ redduntur locutiones, stylus minus procuratorius nec ad forum hoc quadrans proclamatur, insperguntur minæ, nisi vel plane taceamus vel Procuratorem idoneum procuremus, qui juxta articulorum legumque patriarum tenorem officium respondendi subeat, animadversionem severissimam Nos vix evasuros. Inde spatium tridui nacti, diffundimur in Comitatus partes per ablegatos & Epistolia, sedulo Promachum Juridicum quæsituri. Sed nec licuit desideratum invenire, præclusis undique per clandestinam, ut demonstratum publice dedimus, Episcopi seu potius Præpositi Scepusiensis inhibitionem viis, nec tandem certas ob causas procuratorio modo innocentiam nostram defendere consultum fore æstimavimus. Reduces igitur exponimus defectum, & ne deesse Nobis videremur, animi mentem scripto brevi declaramus, quod innocentes ad Principem nostrum Illustrissimum confugere, Ejusque innatæ & hactenus satis probatæ Clementiæ, post DEUM, per Legatos explorandæ & implorandæ, Nos submittere velimus.

Atat nunc, non quod pueri in faba, se invenisse rebatur actor, quin protinus instat, clamat & acerrime judicium petit, ac sententiam ferendam

dam urget, eo quod declarationis Projecto causſæ noſtræ diffidamus, nulla Nobis verborum priorum interpretationis facultate relicta. Bone DEUS! confugere ad legitimum Magistratum, Ejusque fidere antiquæ & probatæ Clementiæ, his hominibus, tam ſanctè, ſcilicet! in honorem Magistratus intentis & vigilantibus, eſt perduellionis reum ſe prodere. Acceſſerunt ſpecialiora contra Nos teſtimonia e ſchedio oblongo & aliquot ſigillis munito prælecta, duodecim noſtrum in caſtris Hungarorum fuiſſe, quemvis auditores ſuos ad contributionem æris pro rebellibus colligendi commoviſſe, conventicula contra ſuam Majeſtatem inſtituiſſe, addita tamen hac clauſula: Quid locuti ſint, neſcio. Egregii ſane teſtes, quorum nec nomina reſcire, nec ſubſcriptionem conſpicere, nec præſentiæ copiam habere poteramus, utut quam avidiſſime unum ex his deſideratum fuerit. Erant actori ſat authenticici, quorum productione opus non eſſet. Poſtquam igitur recedentibus Nobis diu multumque delibera- tum fuiſſet, intromittimur ad deciſionis promul- gationem, qua tanquam complices rebellionis a cathedris & omnibus Miniſterii actibus arcemur, & e Regno proſcribimur, reſervata tamen rigoris hujus relaxatione, quod ſi reverſalibus certis ſubſcribere non renueremus, ſed exemplo aliorum nos accommodaremus. Occaſionem hanc nacti terminum petimus, & exemplar ſubſcriben- darum, præſervata tamen intentione, nos ſub hoc ſpatio media demulcendi Principem adhibere & tentare poſſe. Verum quia producta prius obligatoriæ formula, quæ reſpectively tolerabilior erat, ob factam duris & conſcientiam ſtrin-

gentibus phrasibus depravationem, admitti non posset, nostrum etiam exemplar correctum, & nominibus plerorumque ac sigillis roboratum quoad singula pro palato Aucupis haud esset, rejicit illud effluxo termino & apud Principem nostrum Nos contumaciæ arguit Episcopus memoratus, & quod protrahendo negotium formulasque præscribendo tergiversetur ac ita inclutæ Sedi Judiciariæ illudamus, incusat, & immutabilis decreti executionem urget monetque, ut bona nostra confiscentur, & personæ proscribantur. Advolat illico mandatum rigorosissimum, cui implendo sedulo insistitur, mobilia & immobilia nostra fisco adjudicantur, equi & pecora abiguntur, frumentum avehitur, cætera omnia consignantur & venum exponuntur. O! inconsuetam hæcenus, realem tamen & nobis minus gratam nec approbandam *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*. Non licet alias sic philosophari. Ast multo intolerabilior erat denuo mandata Nostri intra quindenam determinata exterminatio. Proh! Sortem dirissimam! Tristissimum Spectaculum! Hic templo ultimis precibus ad altare valedicentem Pastorem circumstant miseræ oviculæ, & balatu suo ac eculatu locum sacrum implent; ibi convolant in Parochiales ædes solatia ferentes & quærentes, viatica, affectus intimi tesseras, *καρδύναμις* sponte fundunt, tandem primarii cives currui insidentes & equis una cum pedestri copia, armati fere ad quatuor Milliaria plerique itineris Comites & propter minas Adversariorum Custodes se adjungunt, mulierculæ, virgines, puellæ puerique in campos diffusi & vicos, aëra clamore perstrepunt, lacrumis madent, manus, sedes & vestes discedentis

dentis confessarii sui arripiunt & osculantur, signisque omnivariis dolorem & amorem suum contestantur & manifestant.

Vale, o mea cohors, dilectæ animæ, Valetē!
Valetē, omnes Spiritus Sancti regimini & divinæ tutelæ amandati, Valetē!

- . IMUS eheu! inter tot singultus & querelas! - .
- . IMUS vix spirantes, & quasi in Ecstasi constituti. - .
- . IMUS non modo de nostra, sed & derelictæ plebis

futura sorte maxime solliciti, ne immanem violentiam miseri nostri auditores experiantur, ab ipsis quibusdam sanioris mentis Catholicis minus probatam, qua jam in pagis, Panem Eucharistiæ destinatum invito ebriorum ori intrudendo, profugos prosequendo, verberibus ad sanguinem usque excipiendo, carceri injiciendo aliisque Genio Romano consuetis sevitia generibus, Rusticos ad Professionem suam Plebani adegissent.

Imus ad Arcem Lubloviensem, prius Dominis Commissariis Partis nostræ Polonicæ valedicturi, qui etiam non modo honestas dimissionales, liberam per Poloniæ Regnum sternentes viam, benigne concedunt, sed & egregii testimonii loco his verbis nos comitantur: Habemus condolentiam cum Vestris Dominationibus & fatemur Easdem esse innocentissimas, sed hoc tempore aliter fieri nequit. - .

Imus tandem trans regni Nostri terminos & ita
 Proh! Patriæ Fines, fœCVnDa reLInqVIMVs
 ArVa!

Imus per Sarmatiam, Borussiam aliasque Pro-
 vincias,

quocunque feramur, experturi illud Poëtæ:

Est miserum amissa Patria Domibusque vagari,
 Et dubiam querula quærere Sorte stipem.
 Curat Nemo vagos & lædere Nemo veretur,
 Non Exul Curæ creditur esse DEO.

Verum quo rapior? Curæ sumus omnino Ter
 Optumo Maxumo Ecclesiæ Protectori & rerum
 nostrarum accuratissimo Observatori ac Modera-
 tori. Quantumvis enim & repletam scelerum
 Hungaricorum mensuram tantam mutationem im-
 miserit & hostium furores grassari hæcenus permi-
 serit, tamen scimus, quod non modo sub ipsa
 afflictione misericordiæ suæ memor justitiam tem-
 perare, sed & tempore suo finem luctui impone-
 re, eundemque in gaudium conversis convertere, ac
 flagellum igni destinare soleat fidelis & benignissimus
 Castigator. Faciant igitur bene profundam foveam
 adversarii, ipsi incident. Pœna talionis digni
 mensuram repletam, imo superabundantem ex-
 spectent. Tyranni quandoque morti viciniore
 revocantur ad vitam, & acerbioribus diuturnio-
 ribusque aservantur tormentis, ut & in hoc se-
 culo justitiæ divinæ sint publicum documentum.
 Furiis agitato horrendis quosdam legimus. He-
 rodes vermibus acerbissime corrosus superbiæ &
 ferociæ meritos dolores cum extrema ignominia
 conjunctos cæteris persecutoribus prædicat. Per-
 pendant

pendant & Nostri exturbatores, Romani Clerici, quod nondum omnium dierum sol occiderit. Solet omnino tarditatem gravitate pœnæ compensare justissimus Judex. Huic omnia committentes, calidisque calamitatem nostram involutam precibus in sinum Clementiæ suæ rejicientes, speramus credimusque, quod mali nihil permittat, unde non aliquid boni queat elicere. Oppido quam eleganter Lipsius: Deus non deserit suos, sed abducit a loco, ut ad meliorem reducat, & objicit sæpe non sperata. Sic mirabile est, quod a scorpione ictis accidit. Etsi enim vulnus hoc valde periculosum sit, tamen si tempestive adhibitis remedijs, qui eo læsi fuerint, curantur, hunc fructum & securitatem inde reportant, ut post a Vespijs & Crabronibus aut Apibus, sicut experientia docuit, nunquam feriantur. Usque adeo nullum esse tantum incommodum solet, quod non commodum aliquod habeat adjunctum. Eodem modo persecutoribus fidelium evenire solet. Nam dum maxime vi & dolo illis nocere satagunt, nihil aliud efficiunt, quam ut commoda & honores, salus & incolumitas ipsorum in hac umbratili pariter & futura vita æterna promoveantur. Igitur ut diligentibus **DEUM CUNCTA CONDUCUNT!** quo symbolico meo lemmate ex Rom. VIII: 28. sæpius erigor, ita & hæc Exilii humani *παιθήματα*, sint auxilii divini *μαθήματα*, hæc fata provocent vota, hæc adversa pœnitentiam, patientiam & perseverantiam operentur, & accelerata Catastrophe in exoptatum gaudium conversa faciant

EXULANTES EXULTANTES!

Dixi.